

IN PRÆ CLARISSIMI, ATQVE
 BENEFICENTISSIMI EPISCOPI IULIA
 NI de Alba, rerum Sacrarum Regij Præfecti cor-
 poris & animi egregias dotes, elegās ac bre-
 uis Apographia. Cadabale Grauió Ca-
 lydonio authore.



Subijt sãcte Inquisitionis examen, cū ordinariæ
 authoritatis approbatione.

ILLVSTRISSIMO, AC PERINDE
beneficentissimo Episcopo Iuliano de Alba, Re-
gio sacrarū rerū præfecto maximo, Cadabal
Grauius Calydonius omnigenam fe-
licitatem atq; summam beatitu-
dinempie precatur.

20



N te vno mirifice quum omnes ille eni-
teant virtutes .s. iustitia, temperantia,
prudentia, fortitudo, atq; in omnipoten-
tem Deum religiosa sane mentis obseruā-
tia cum pietate, nostriq; sæculi magnum
& conspicuum ornamentum, nobilitatis simul & probi-
tatis exemplar existas, atq; sub illa cœli benignissima tē-
perie Madrigalis oppidi, vicinæq; regionis feliciter natus,
ac nutritus sis, (vnde complures non solum strenui animo
siq; duces, necnon bellica potentes virtute milites, sed etiā
quod maius est, sacrarum atq; humanarum candidati li-
terarum cultores, in lucem prodierunt, quorum alteri mi-
litie pro catholica fide patriæq; collatis signis pugnando,
alteri vero togæ sanctissima Euangelicæ legis præcepta
tradendo, immortalē gloriam assecuti sunt) non possum
præclarissime præsul tuas āplissimas nō prædicare, nō ex-
collere laudes, nō ad astra nō ferre egregias cū corporis, tū
præstātis animi dotes. Quūq; id mihi esset ī vatis ex quo ad
te tan

16
te tanquã ad dulce decus, præsidiumq; meũ (eruditissimo
familiari tuo doctore Morgouegio præsentè) tua singulari
benignitate fretus superioribus annis accessi. Nonnullaq;
extemporanea carmina velut ingenij mei primitias, quæ
in inuictissimi Ioannis tertij Lusitaniæ & Algarbiorum
regis obitum & Apotheosim, necnon in celeberrimæ
reginæ Catharinæ miserandos luctus, tumultuario quasi
stylo composuerã, tibi ostendi, atq; efflagitavi, vt ad ean-
dem reginam Catharinam, prudentissimumque Car-
dinalem Henricum, huius regni vigilantissimum mode-
ratorem, populorumq; lucubrantissimum pastorem perfer-
res. Quæ quũ vidisses, pro tuo grauiissimo iudicio, admira-
biliq; doctrina, vt accuratius & attentius perpenderem,
elimarem, corrigerem, melioraq; facerem (vt grauissimum
decebat virum) iussisti. In patriam statim ad proprios
Lares me contuli, & quantum meæ potuere vires invigi-
lando recensui, examinavi, correxi, annotationibus ac
scholijs locupletavi non solũ illa, quæ ad te retuleram, sed
etiam alia, quæ inuictissimo regi Sebastiano de latina Sin-
taxi, serenissimoq; cardinali Henrico, de magno ac vni-
uersali Catachismo, in Christianissimorum Lusitaniæ regũ
gratiam nuper in lucem edita dicauerã. Quumq; ad illos
tanquam ad terrarũ principes accedere vellem, apud quos
& si nullum vnquam honestum scriptorum genus fastidi-
tum fuerit, ingenuus primum pudor vetuit, (intellexi
enim me humilis & abiectæ fortunæ hominem esse)

Inuid a

Inui la deinde paupertas, quæ quidem non raro diuinos ac
generosos frangit spiritus, animosq; etiam ad bonas artes
feliciter natos, infeliciter retundit atq; conculcat. Subijtin
mētē illa tua omnibus notissima in literarum amatores
beneficentiā, admirandāq; benignitas, quibus cæteris fa-
cile præstas, & bene beateq; viuendo ad cælū viā affectas
Quia propter nunc supplex ad te (non tamē sine pudore)
tanquam ad magnificentissimum patronū, Mæcenatēq;
meum, in aduersis afflictisq; rebus aliquod remedium que-
rēs, quamuis indignus (vt ingenue fatear) in quem mune-
ra conferas, beneficentiāq; tuam ostendas. Nihilominus
tamē te pro tua egregia nobilitate atq; humanitate, (quā-
do nulla alia post diuinum auxiliū mihi restat spes) sup-
pliciter oro, atq; obtestor, vt me tibi deditissimum clientē
apud inuidiosissimum regem Sebastianum toti cælitus orbi
datum, cui nimium ob ingēnitam indolem, virtutem, ac
morum integritatem places, celeberrimāq; reginam Ca-
tharinam, benignissimūq; Cardinalem commendes, eo-
rumq; celebritatis & gloriæ me studiosissimum esse dicas.
Qui si nostros solo nutu labores, vigiliasq; semel probaue-
rint, numinis instar id mihi fuerit, atq; in patriam mea
cōtentus sorte reuertar, taleq; beneficiū omnibus diuitijs
quas Oriens habet, antepōnam. Sin minus in horrendas
ibo latebras, hominumq; conspectum, quod ad vixero, sub-
ter fugiam, interrogatusq; cur sine honore lateam, cum
Homero Hectore respondebo, Troes, atq; Troianās
talares

17

talares populos ferentes vereor. Non me igitur humanissimi
me praesul ex venerabili conspectu tuo decedere tristem
patiaris, qui nihil nisi te digna, hoc est magna dare soles,
antiquissimaque generis nobilitate praefulges, a quo rem
improbam audet nemo petere. Quem Deus op. max. im-
pense diligit, & ad maiora provide reservat. Reges pra-
oculis habent, & omne mortalium genus bene sibi consciu-
suscipit, miratur, laudat & imitari contendit. Vale, meque
ut facis amato. Vlyssippone, tertio Idus Ianuarij. 1566.

IN CLARISSIMI, AC PERINDE

Beneficentissimi Episcopi Iuliani de alba re-
gij sacrarum rerum praefecti maximi
celebritatem, honorem, tituloru-

ac virtutum commenda-
tionem, Cadabalis

Grauij Calydonij Supplicum Dicolon
Tetra-strophon carmen.

Praesulis claras meritasque laudes,
Atque virtutes, animique dotes,
Da mihi totis celebrare terris
Musa Latina.

Tug

Tuq; pastorum decus, atq; lumen,
Quem pater cœlestis amat, fouetq;
Diligunt reges, pia turba laudat,
Accipe carmen.

Quale per lucos cecinit puella
Ad chelym flendo studiosa Lesbi,
Quū suū incusat, geminatq; mœsta
Voce Phaonem.

Sappho Lesbia
Sapphici carmi
nis tuëtrix, Si
culum Phaonē
vnice dilexit.

Audias versus igitur canentis
Hos tui vatis famuliq;, celsa
Quos mihi non nunquam Helyconis arce
Dictat Apollo.

Es Deo charus generose pastor
Es pius sanctæ fidei Satelles,
Esq; regalis merito sacerdos
Peruenerandus.

Esq; sacrarum bene ducta rerum
Norma, te reges coluere semper,
Teq; mirantur proceres, & omnis
Ordo veretur.

Es nimis gratus populo fideli,
Diligunt docti merito benignum,
Diceris quando quoq; Iulianus,

fid. Christiano

Iulia felix.

Iul. fe. i. Vlyssippo.

Ille, quem plusquam vocitat Prophetam

Christus, ostendit digito potentem,

ille, s. Ioannes

18
Quum ecce qui tollit sacer agnus inquit,
Crimina mundi.

Is tibi præbet titulos, & arma
Agnus, a summo veniens Olympo,
Isq; pro nobis homo factus olim
Nos reparavit.

Phosphorus splendens rutilo colore,
Monstrat ad cælum caput extulisse,
Atq; terrenos te animo virili
Spernere fastus.

Sunt tibi mores, animosa corde
Spes, fides constans, charitasq; fulgēs,
Esq; diuinis bene natus, est &
Nobile stemma.

Est decôr fronti, grauitasq; prisca,
Corporis præstans, nitidumq; lumen,
Quale Laertis genito dedisset

Docta Minerva.

Optimo natus Genio fuisti,
Teq; nascentem genitor recepit,
Et tibi supplex tacite precatur
Omnia leta.

Omnibus gratus puer extitisti,
Gratus ex vultu, placidusq; forma,
Et simul castæ preciosa valde
Sarcina matri.

Minerva dedit
quondam Vlyssi
virile robur, pul
chritudinē, diui
nūq; nitorē a
pud Homerni

Sermo.

Serino, quem proferes, manifestat ipsum

Plinius. l. 7

Esse te, fortem probitatis arcem,

Os pbum il

Estq; Pompeij celebrata magni

lud Pom-

Gratia vultus.

peii, dixit.

Quando te mater peperit beatum

Chara, completēs gremio puellum

Paruulum dixit, dabo gnate nomen,

Christus honorem.

Ad fuit Pitho, & proprium leporem

Pitho elo

Dat tibi totum, digitisq; blande

quētia, atq;

Labra permulsit, Iouis atq; fulsit

persuasūōis

Sydus amicum.

est Dea.

Clarior Phebus solito reduxit

Lumen Eoa regione, Luna

Fulgidis valde radijs per altum

Æthera fulsit.

Esq; nutritus placido sub astro

Lacte materno, & domibus parentum,

In quibus primum rosei bibisti

Luminis auras.

Quum puer, risu, manibusq; motis

Iam videbaris sine voce fari,

Grandior factus literas amasti

Candide Præsul.

Ex tulit claram ad meliora semper

Spiritus mentem generosus, atq;

19
Vexit ad cælos, superasq; sedes
Inclita virtus.

Moribus castis, bonitate mira
Præditus, dulci patria relicta,
Alta Regina Hesperia petisti
Limina quondam.

Patria relicta .s. Madrigali, Hispaniæ oppido præclaris alumnis, nobilitato, vbi generosa proueniunt vina, atque reliqua omnia, quibus vita, hominumque vsus indiget. Regina .s. Ioannæ Caroli Cæsaris imperatoris, atq; præcellentiſsimæ reginæ Catharinæ matris, quæ Torode ſillis illo tempore commorabatur.

Illa suscepit famulum, deinde s. reg. Ioanna
Cæteris præfert merito ministris
Quod bonus, prudens, pius, atque liber,
Et grauis effes.

Quumq; præcellens Catharina magno Regi .s. Ioãni
Nuberet Regi Emanuele nato
Duxit in regnum, populosq; claros
Lysiadarum.

Absq; rumoris macula sinistri,
Semper intentum studijs honestis
Regis inuicti tenuit Ioannis
Regia clara.

Ille perpendens animi nitorem,
Atq; constantem pietate mentem,
Præ suis gaudens oculis habebat
Maximus Heros.

Prote

Propter hoc gnatæ Mariæ Philippi
Coniugi magni comitem fidelem,
Atq; ductorem dederat libenter
Rex animosus.

Regiam Nympham sequeris, quousq; i. principē
Vixit insigni charitate florens, Mariam.
Sed choros postquam superos adiuuit,
Rex reuocauit.

Iamq; Reginae moriens reliquit,
Illa commendat facile Nepoti, s. regi Se
Cuius Henricus patruus benigne bastiano
Regnat gubernat

Patruus. s. magnus Cardinalis, prudētissimus Lusitaniæ
moderator. Vlyssipponensis Archiepiscopus.

Teg, Lusitania nunc tuetur
Præsulem summo positum theatro,
Tu sacerdotum es iubar atq; princeps
Commemorandus.

Peruolat totum tuæ fama mundum,
Per polos currens etiam supernos,
Quod licet de te taceam, frequenter
Illa loquetur.

Qua Tagus fertur, Tanaisq; Tybris,
Qua Liger, Tormis, Durinsq; præcep
Nilus, Euphrates, placidusq; Ladon,
Tygris, & Indus.

Qua fluit Phœnix, Tumidusq; Xanthus,

20

Gallus, Eurotas, rapidusq; Araxes,
Qua Melas, Gendos, sui ibundus Arbis,
Ebrus, Hydaspes.

Quaq; Meander, Rhodanus, Caycus,
Qua fremit Pontus, radiosq; Titan
Spargit Eoos, tua fama praesul
Magne triumphat.

Inter est omnes tua nota virtus
Principes, dum Phæbus erit, caputque
Roma terrarum, gelidique fontes,
Sydera montes.

Dum Leo dumis Libya, Dracones
Littus ad rubri maris, & Ceraestæ,
Dumq; constabunt elementa, cæli,
Formaq; rerum.

Si mihi Musæ faueant parumper,
Atq; paupertas fugiat maligna,
Semper in mundo tua magne praesul
Gloria viuet.

Optimus vasti fabricator orbis
Si mihi vitam dederit, canendo
Temagis cer te celebrabit olim
Nostra Italia.

Quæ caput celat pudibunda totum,
Et timet vultus hominum tueri, &
Vestibus ruptis reticet recuruis
Condita syluis.

Tu potes

Tu potes princeps meliore vatem
Si voles, lapsum releuare sorte,
Tunc domi nostræ canet alta gesta
Calliopa.

i. regalia.

Illa torpentem renouabit artem,
Inferet lucem, tenebrasq; pellet,
Atq; Tydensi dabit ipsa vati
Plectra, Lyrasq;.

idest. Cadab.
Tyda tnao.

Tunc ego linquam salebrofa montis
Antra, cantabo medias per vrbes,
Et tuas carmen Tage personabo
Cygnus ad vndas.

Sin minus ruri latitabo iuxta
Littus vndosum sine laude, Musas
Odero, frangam calamos, papyrusq;
Dilacerabo.

Te pater supplex igitur reposco,
Vt manum vati Grauius cadenti
Porrigas, quod si facias, statim per
Astra volabo.

Peregrini Poetæ ad eundem Præf. carmen.

Lesbia non melius Siculos cantauit amores,
Auratam Sappho, quum ferit vngue Lyram.
Quam Grauius cecinit nuper clarissime Præsul
Progeniem, titulos, gesta decusq; tuum.

œ

In præstant.

IN PRÆSTANTISSIMI,
 MAGNIFICENTISSIMIQUE EPIS-
 COPI IULIANI DE ALBA, SACRARVM RE-
 rum regij præfecti maximi celebritatem, ac
 non in debitam laudem, Cadabalis
 Grauij Calydonij Tydensis
 Dicolon carmen:



*Q*UANTVM Roma potēs reliquas supereminet vrbes
 Mœnibus, & veterum relligione patrum.
 Saltibus vt libyæ terret pro viribus omnes
 Fuluus terga leo, dilaniatq; feras.
 Armiger vtq; Iouis cogit, turbatq; volucres,
 Montibus, & syluis, dilaceratq; vagas.
 Vtq; alios pisces mutabilitate per altum
 Pontuagus delphin, quum æquora longa secat.
 Vt facile Platanus cunctas genialibus vmbriis
 Antestat plantas, frondea vere nouo.
 Atq; aurum vt vincit quæcunq; nitore metalla,
 Chrysolitos adamas, Phœbus vt astra micans.
 Dardanidas Hector, Danaos celebratus Achilles,
 Magnus Alexander fortia gesta ducum.
 Omnes sic superas, meritoq; excellis honore
 Mortales præsul non sine laude viros.
 Esq; Deo charus, regum quoq; maxima cura,
 Ingenio præstans, clarus & eloquio.

B Quum

Quum loqueris pleno resonant exspectore Musæ,
 Si taceas, pulchro spirat ab ore lepor.
 In cedis quoties Pastor venerande per urbem,
 Perfora, perq; vias, omnia leta facis.
 Sed si forte lates, nec mœnia cernis Vlyssis,
 Omnia tristantur te sine, vera loquor.
 Collaudant docti, iuuenesq; senesq; seueri
 Te, clari proceres, sacraq; turba colit.
 Hesperiosq; super populos splendore coruscas,
 Quantum Sol inter sydera fixa polo.
 Fronte decor residet, placidoq; modestia vultu,
 Est morum integritas, lucida vita, pudor.
 Fortis & in domito virtus animosa labore,
 Te propter floret nunc magis, atq; magis.
 Permanet in corrupta fides, animoq; fideli
 Mens eadem perstat, quæ fuit ante tibi.
 Omnia quæ instituis sapiunt graue dogma Platonis,
 Diceris & merito tertius esse Cato.

Plato Atheniensis natione, vir sapientissimus, prudentissimus, ac
 grauissimus Socratis perennis philosophiæ fontis discipulus omni-
 um philosophorum diuinus Homerus vocitatus fuit. Sanctas leges
 in communem recip. vtilitatem quasi ex quodam oraculo diligenter
 instituit: Tanta atq; tam admirabili eloquentia
 præditus fuisse dicitur, vt omnes vna voce Iouem (si Græce loqui
 voluisset) Platonice locuturum dicitarent.

Tertius Cato, idest vir cōsultissimus, prudentissimusq; ac de rep.
 bene meritus, quales fuerunt duo Catones. Qui maxime celebra-
 tur apud omnes, de quibus hæc paucis ånotare libet, ne Plutarchum
 atq; alios authores euoluere sit lectori molestum Marcus Cato Por-

22
tius postea Cælorius appellatus tribunus militum in Cilicia fuit. Sardiniam prætor subegit, ubi ab Ennio iam grandior natu Græcis literis institutus est. Cum Valerio Flacco Consulere atus ceteriorè Hispaniam sortitus, omnia prospere gessit. Hunc Plinius summum Imperatorem, senatorem, ac oratorem appellat. Scripsit librum de re rustica, alium de medicina, item alium de originibus urbium antiqui laetij, & quasdam grauissimas orationes. M. Cato vticensis eiusdem M. Porcij Consortij nepos fuit, quem vitæ stoicæq; disciplinæ seueritate referebat. Martiam coniugem roganti Hortensio liberorum causa concessit. Eandemq; post Hortensij mortem recepit. Toto ciuilibus belli tempore in tonsus fuit. Post Pharsalicam pugnam vticam se contulit, req; à bruto in feliciter gesta, per lecto Platonis de animæ immortalitate dialogo, qui Phædon inscribitur, necem sibi conuenit. Ad hoc Iuuenalis quoq; alludit Sátyra 2. quum dixit. Habeat iam Roma pudorem, Tertius è cælo cecidit Cato.

*Cantibus in cælum te tota Hispania tollit,
Romaq; miratur, Gallia ad astra leuat.
Sacraq; diuinæ legis præcepta resurgent
Præsule te, quoniam non nisi sancta probas.
Lætauit gremio docilem Ioue nata Minerva,
Auratamq; dedit pulcher Apollo lyram.
Doctiloquos recreas, Musas, Helyconia Tempe
Semper amas, vates suscipis, atq; foues.
Tu alter Mæcenas peregrinis, & studiosis,
pauperibus tandè portus, & aura venis.*

Mæcenas, proprium nomen Tusci equitis clarissimi, & apud Augustum potentissimi, cui velut unico studiorum patrono virg. Georgica sua, ac Horatius carminum libros inscripsit, ac dicauit. Delitiam hunc fuisse non solum cultu ac moribus, sed etiam stylo elegantem commemorant. Fuit hic vir in prouehendis cum omnium disciplinarum, tum præsertim poeticæ cultoribus adeo benignus, vt ab eo etiam hodie studiorum patroni, qui in subleuanda doctorum virorum egestate se munificos præbent, Mæcenas appellentur.

Tu patriæ lumen, constans spes ampla tuorum,
Tupius, & longæ posteritatis amor.

Iam tibi magna dedit, multo maiora daturus
Omnipotens, te fors ad meliora vehit.

Docta per ora virum curris, volitasq; beatus,
Adsuperas canitur iam tua fama domos.

Personat omne nemus Phœbeia plectra, melosq;
Indecus, & laudes vir generose tuas.

Immortale iubar, nomen vitamq; perennem,
Inter mortales nactus es ipse quidem.

Præterea rubro petaso non dignior ullus
Nunc agit in terris, vtiliorue fuit.

Cur ergo cessas, quid Vlisippone moraris
Princeps? tardantem Martia Roma vocat.

Altaq; clauigeri spectat te Ecclesia Petri,
Amsanctiq; loci, Pontificumq; cohors.

Cohors ultra notam significationem pro congregatione quoruncq;
hominum usurpatur. Suetonius in Galba. Per hæc gratissimus Clau
dio, receptusq; in cohortem amicorum, magnæ dignationis est ha
bitus. Horatius. i. Epistola. Quid studiosa cohors operum struit?

Albaniq; patres, quorum de nomine dictus

Es, cupiunt oculis cernere, mente vident.

Inter Romulidas iuxta capitolia, Tybris

Qua fluit in pontum, viuere dignus eras.

Quum læti portus sacratas Episcopus es es,

Ædificauisti templa superba Deo.

Atq;

23
Atq; sacerdotum collegia pulchra parasti,
Qui colerent summum cum pietate Patrem.
Quam nuper Miranda famem, qualesq; labores
Passa est, quid memorem? sunt manifesta quidem.

Miranda Lusitaniæ ciuitas est, iuxta Durium fl. sita. Anno 1562, & 1563 Lusitania occidentalis regio ob iniuriam in temperiemq; cœli induc̄ta sterilitate panis penuria laborauit, Quo tempore quum Iulianus Albanus esset Episcopus Mirandensis, solita virtute necnon clementia vsus, turpi periculosos fame pauperes omnibus necessarijs vltro datis, a morte reuocauit, diuitumq; eadem motus pietate statum conferuauit, vtrosq; promiscua beneficentia iuuando.

Imbribus asiduis tellus made facta, calore
Solis adusta simul, vix alimenta dedit.
Tardigradisq; seges passim frumenta negauit
Agricolis, miseros luserat alma Ceres.
Quum totis nemo messem deduceret agris,
Nam cultis sterilis creuerat herba locis.
Infelix tribulus, lolium, paliurus, auena,
Carduus, atq; rubi iugera cuncta tenent.
Hordeæ nulla tamen, nec sustentatio fessis
Vlla ferebatur, corda dolore pauent.
Ecce laborabant omnes pueri, iuuenesq;
Longæuiq; senes, fœmineumq; genus.
Linquere res angusta lares, & recta coegit,
Corpora per vicos iam peritura trahunt:
Sed ducente Deo, vastum qui fecit Olympum,
Sydera qui nutu temperat, atq; regit.

Accurris, miseros pascis, das omnia, lapsos.

Ad vitam reuocas, restituisque, cibo.

Non solum victum, sed & indumenta dedisti

Nudis sponte, quibus pallida membra tegant.

Efficis ut viuant, moribundaque, corpora seruas.

Præsulis officio, largisq; manu.

Nobilitas generis, charitas, constantia, virtus

Tunc patuere, frequens at tamen ista geris.

Gero ultra notam significationem significat idem quod facio Virg.
Lib. 9. Nec tecum talia gessi, magnanimum Æneam, & fata extrema
secutus.

*Per populos Anster, Zephyrus quos perflat, & Eurus,
Frigidus & Boreas gratia magna tibi.*

*Qua Tagus, & Durius ferunt, Padolus, & Hermus,
Euphratesq; furens, qui Babylona rigat.*

Populiferq; Liger, Batis, Miniusq; Melasq;

Quaque patent vrbes, oppida, culta iuga.

*Qua tumidum longe præceptis Amasenus in æquor
Voluitur, herbosus Sequana quaque, fluit.*

Et caput extollit Phasis, celer atq; Lemanus,

Mincius atq; Padus, iam tua fama volat.

Te quidego laudem? tollam quid ad æthera cantus?

Notus es, & magni numinis instar habes.

Estq; tibi pareus tranquilla in pace triumphus,

Palmaque; fulgenti pro pietate datur.

Damgelidi

24
Dangelidi fontes, & litora curua manebunt,
Duraq; saxosis dum vada fluminibus.
Subter aquas nitidi pisces, dum Caucasus horrens,
Et rapidos Titan iunxerit altus equos.
Dum mare, dum tellus fuerit, dumq; aer, & ignis,
Plenaq; nocturnum Luna recurret iter.
Granina dum campi fundent, dum Gargara messes,
Maxima nempe tibi gloria semper erit.
Salve dñiui Christi lucubrantiſſime paſtor,
Præſidium lapsis qui dare ſæpe ſoles.
Salve ſacrarum Præſecte o maxime rerum,
Templorum cuſtos, & probitatis honor.
Sis nimium felix igitur celeberrime Præſul,
Quem ætheria nobis miſit ab arce Pater.
Fata tibi tribuant Pyliam complere ſeneclam,
Auxilium præſtes ſemper vt ipſe tuis.
Poſt obitum requiem radiante cacumine cæli
Det tibi in æternum maximus ille Deus.

Laus Deo.

B 4

Ornatiffimo,

ORNATISSIMO; AC PERINDE
 BENEFICENTISSIMO EPISCOPO
 Iuliano de Alba sacrarum rerum regio præ
 fecto maximo Ioānes Rodericus de
 Saa Portugallensis arcis
 præses. S. D.



IBI deditissimus cliens Cadabal Grauius
 simul cum inuidiissimi regis Ioannis Apo-
 theosi; vniuersaliq; mundi Cataclysmo. nu-
 per in lucem editis, tua singulari, omnige-
 naq; præstantis animi virtute, suoq; ingenio condignam
 Apographiam (sic enim appellat) post sacrosanctum no-
 stri Redemptoris Genetbliacon, vt amico gratum faceret,
 Vlyssipone, vbi nunc comoratur ad me misit. Quam vbi
 vidi, nec non accurate per legi, ornatum, stylum, ordinem,
 compositionem, verborum sententiarumq; pondus & co-
 piam perpendens, non mediocriter admiratus sum. Proh
 summe Deus inquam, quid hoc est? vnde nobis alter Ma-
 ro, qui priori vix cedat, ita repente succreuit? Facilius me
 Hercule ouum abouo, quam vatem auate carminis maie-
 state, describendiq; omnia ad amussim subtilitate discer-
 nerem. Totum, vt vera loquar, tersum, emicellū, oratoriū,
 graue, castū, ac deniq; Cadabalinum erat. Quāta facilitate
 tuas egregias ille laudes, antiquos mores, insignes titulos
 in

25-
in Christianam remp. & bonarum artium studiosos beneficentiam & amorem, in pauperes & peregrinos humanitatem, munificamq; liberalitatem, & reliqua (quae recte fere longum est) celebrat & ad adstra tollit? Gratulor huic nostro seculo, quod adhuc priscorum non solum reliquiae, sed etiam expressae imagines & ingenia restent.

Hominem eruditum Hispanorūq; poetarum facile principem, qualem desiderabamus, habemus. Quem honestis florentem studijs, & ad altiora nitentem sinon toties aduersa Fortuna (quae rerum accidentium subitus & inopinatus euentus à Philosophis definitur) indignè deprimeret, cum antiquis optimo iure contenderet. Sed vt ad rem redeam, nō parum est humanissime praesul à laudato viro laudari. Generosi vir spiritus Alexander quondam orbis domitor, quū in Phrygia ad Achillis sepulchrum peruenisset, sublata voce sic intulit. O fortunatū Achillē qui tuorum factorū praecōnē Homerū inueneris. Bellica praeterea sorte conspicuus Scipio Libyæ vindex eodem modo eiusdem vatis apud inferos anima visa (vt Silius refert) exclamauit dicens. Felix Æacide, cui tali contigit ore gentibus ostendi, creuit tua carmine virtus. (Crediderat vterq; merito praecleara strenuissimi cuiusq; opera, qui de Religione, de patria, de iustitia, de constantia, de charitate, de clementia benemeritus fuisset, omnibus fore nota, immortalitateq; donari, si luculentis literarum monumētis, hoc est concinno solutæ orationis eloquio, siue mellifluis Musarum

Musarum cantu illustrarentur. Idq; ad imitationem, gloriam, & virtutem non parvam habere vim, ultra supra memoratos, etiam prudentissimi quiq; viri arbitrabantur. Ad haec M. Cato censorius fortia facta facundis oratorum, atq; poetarum testimonijs in digere, ne sua laude fraudarentur, dicebat. Aliter enim nullius humanae rei memoriam posse durare diu videbat. Quod diuinus Homerus Achilli, virg. Aenea, Honorio Claudianus. Q. Curtius Alexandro, gentium victori populo Patavinus historio graphus, quod deniq; alijs alijs scriptores, tibi tuus Grauius praestat, maioraq; tuae pietatis argumenta (si quid humanitas ei non contingat) breui dabit. Id maximopere studet, isq; affectus eius animo est. Nec a tanto rerum ordine cessabit, quousq; te toti cognitum orbi faciat, atq; venturae posteritati commendet, vt tua scilicet clarissima gesta temporum iniuriam, horribilesq; obliuionis tenebras nullo timeant modo. Hunc igitur tuum vatem, vt facis, ama, quem tibi non sine numine, vt te a vetustatis rubigine redderet exemptum contigisse animaduerto. Dignus ille quidem, qui meliorem quam habet statum sortiatur. Quicquid enim vult pro ingenij felicitate, difficile non est, Nam siderum stationes, ventorum fragores, impetus & praelia, vndarum murmura, montium celsitudines, fluuiorum discursus, tonitrua, fulmina, procellas, regum funera, suspiria, singultus, lachrymas & reliqua omnia non aliter depingit, quam si res ipse de quibus

26

quibus agit, ante legentium oculos gererentur, quod ex
scriptis eius meridiana luce clarius apparet. Ad hæc me-
moriam tenet omnia, atq; in authorum interpretatione ve-
luti quodam eloquentiæ flumine currit. Ad summam, quid
tibi multa dicam? tua clientela dignus, imo dignissimus
est. Quem hominẽ magis tibi commendarem nisi satis su-
perq; tibi commendatum esse scirem. Quæ carmina eius
quibus anteferam, Sapphica ne Elegiacis, an Elegiaca
Sapphica, non asequor, tantus eorum splendor atq; elegã-
tia est. Nihilominus tamen pro meo iudicio, ut
æquum est, probò, laudo, exosculor, &
totamente complector.

Vale. Portugallie 4. Kal.

Feb.

Ad clarissimum Episcopum Iulianum de Alba
sacrarum rerum maximum præfatum regium, disertissi-
mi viri Ioannis Roderici de Saa Portugallensis arcis
Præsidis, Encomiasticum carmen.

Non pauci merito recolunt tua facta Poete
Virtutem, insignes actus, moresq; pudicos,
Sed magis atq; magis Cadabal Calydonius ornat,
Pierio sacros hausit qui ex fonte liquores.
Cantibus ille tuas laudes dum tollit ad astra,
Efficit, ut longum semper celebreris in ævum.

IN MADRIGALIS HISPANIAE
celebris oppidi, vbi clarissimus Episco-
pus Iulianus deAlba natus est, eiusdē
q; principis laudem, Cadabalis Gra-
uij Calydonij extemporaneum
carmen.



O Madrigal felix patria felicis omni,
Quid de te dicam? quid vere ferre queam?
Est in te natus pastor clarissimus, in te
Nutricum labijs vbera prima bibit.
Ex te prosiluit sacros habiturus honores,
Matris in obsequium Caesaris inde datus.
Vt platanus creuit, ducente per omnia Christo,
Altaq; Lysiadium nunc tenet aula ducis.
Estq; sacerdotum praefectus maximus, atq;
Virtutum cultor, Religionis amor.
Viq; micans sydus, toto resplendet in orbe,
Regibus est notus, Pontificiq; pio.

Finis.

Humanissimo,

20 HUMANISSIMO, RELIGIOSISSI-
moq; Episcopo Iuliano de Alba patrono suo,
procollatis in se beneficijs gratias a-
git, calamitatemq;, quam indigne
tulit Vlyssipone quasi
leuibrachio tangit.



P Ersea pugnantem protexit vt egide Pallas,
Terribiles contra Gorgonas in Libya.
Cui non falcatus potuisset pellere mortem,
Ensis, opem ferret ni Dea nata Ioue.
Et nisi seruasset fugientem littore Pluto
Serpentum rufis corpora fæda notis.
Scilicet occideret monstros superatus ab ipsis,
Palmaq; non forti, vitaq; nulla foret.
Talis Vlyssipone miser modo vulnera seua
Deceptus, dura sorte premente tuli.
Me fortuna potens manibus fastigia rerum
Prensantem repulit, præcipitemq; dedit.
Immersus studio, Musisq; intentus, & insons
Accusor falsis testibus, atq; dolis.
Carceris in tenebras trudor, rapiorq; repente,
Nox mihi non dulcis, nec mihi dulce iubar.
Omnis abest tutor, magna peregrinus in vrbe
Præsidio careo, nullus amicus erat.

Nullaq;

Nullaq; viuendi misero iam corde manebat
Spes, retro cecidi, vita salusq; fugit.
Non genus aut casti mores, nec Apollinis artes
Profunt; virtutem nec cecinisse ducum.
Carminis altisoni nec dulcis ad aethera cantus
Liberat aletio, destituorq; meis.
Accuris generose pater, solaris, acerbo
Eripis ex casu, mentem, animumq; refers.
Das aurum, argentum, vestes, preciosaq; dona,
Meq; sinu refoves propietate tua:
Das meliora mihi, quam ame Fortuna premendo
Abstulerat nuper, reddis & in patriam
Deniq; qui extinctus fueram paulo ante reuixi
Per te, quem Christus diligit, atq; regit.
Laus Deo.

28

¶ De nouem Musis earumq; no-
minibus, atq; in-
uentis.

NOuem esse dicuntur Musæ .s. Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polymnia, Vrania, Calliope, Prima ob rerum gestarum quas canit, gloriam & celebritatem Clio nuncupatur. Secunda ab oblectando Euterpe. Tertia à lasciuia cantus, vel à uirido germinandoq;, quod ueneris natura, autore Plinio cuncta in terra generetur. Quarta Melpomene à canendo dicta. Quinta Terpsichore à delectandis choreis. Sexta Erato, vel ab amoribus canendis, vel quod Iouis sydus benignum ac salutare sit. Septima Polymnia ab hymnorum multitudine. Octaua Vrania à firmamenti vel cæli vertigine. Nona à uocis suauitate atq; dulcedine Calliope dicta est. Hæc numine suo Orpheum uatem afflauit, Museum Vrania, Homerum Clio, Polymnia Pindarum, Erato Sapho, Melpomene Thamyram, Terpsichore Hesiodum Thaleia Maronem, Euterpe Nasonem. Sunt & communia Musarum uocabula quedam. Camene nuncupantur, quasi canentes amene. Helyconiades, ab Helycone, Bæotie montibus, Cytheriades, à Cythero monte vel saltu. Pierides, à Piero Thessalie monte, ubi ex Ioue, & Mnemosyne natæ sint, Pegasides, à fonte, quem Pegasus uingule iclu aperuit, unde itidem Hippocrene, et Aganippides appellatur. Thespiades, à Thespijs oppido Bæotie.

Libetrides

à Magnesiæ fonte Musis sacro. Pimpliades, à fonte vel vi
co Macedonia. Castalides, à fonte Parnasi Castalio. Mne
mosynides à matre Mnemosyne, quam ideo Musarum pa
rentem vocant, quod eruditio sine memoria vi comparari
nequeat. Olympiades, à monte Macedonia Olympo. Clio
historias, Melpomene tragædias. Thalia comædias, Eu
terpe tibias, Terpsichore psalterium, Erato geometriam,
Calliope literas, Vrania astrologiam, Polymnia rhetori
cam inuenit. Hæc breuiter de Musis.

De rerum principatu:

Inter sydæra Sol, inter feras Leo, inter aues Aquila, in
ter gemmas Adamas, Aurum inter metalla, inter potus
genera vini, inter animantia Homo, inter spiritus, seu po
tius res cunctas Deus principatum habet.

De plantarum antiqua consecratione.

Olea Mineruæ sacra fuit quondam, populus Herculi,
Apollini Laurus, Veneri, Myrtus, Quercus & Æscu
lus Ioui, Vitise & Hedera Baccho, Plutoni Cupressus, Cy
beli Deorum matri Pinus, Genio Platanus, victoriæ
Palma.

¶ De decem paribus amicorum Cadabalis grauij Calydonij
extemporaneum carmen

Thesea Pirithous, Patroculum animosus Achilles,
Nisus & Euryalum, iuuenis Phoeceus Oresten,
Ædipoden Tydeus, Æneam fidus Achates,
Tyndarides fratrem frater quoq; Castora Pollux,
Pythia Damonem, nec non & Lælius illum,
Aphrica cui nomen dederat venerabile victa,
Saulidenq; David casto dilexit amore.

Laus Deo.